



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

14. Qualibus muscis Ægyptij fuerint exagitati?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Quamobrem etiam in ipsis sese muscis mirabilem declarat. Qui potuisset plus quàm duodecim legiones Angelorum, contra Pharaonem mittere; is ait: *Ecce ego immittam in te, & in seruos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas omne genus muscarum: & implebuntur domus Egyptiorum muscis diuersi generis, & uniuersa terra, in qua fuerint. Omne genus muscarum,* ait, quarum alię sunt communes; alię virides & toxentes, quędam valde crassę & sonantes; aliquę è mortuis aquis generatę; nonnullę iumenta maximè inuadunt infestantque; quędam etiam morsu virulentę. Qua de causã S. Hieronymus existimat LXX. interpretes non vertisse *κρυμίσαν*, id est, *Caninam muscam*, sed *κρυμίσαν*, id est, *muscam*, vt omne muscarum genus comprehendit. Sed licet LXX. interpretes tribus locis verterint *κρυμίσαν*, *Caninam muscam*, nõ idcirco alia muscarum genera excluderunt; sed *caninam muscã* potiùs nominare voluerunt, quòd ea, propter insignem audaciam, violentiam, & molestiam tantò memorabilior, quanto odiosior esset: quippe quę pertinaciùs inhæret acriùsq; mordet. Itaque hæc plaga, vt Philo scribit, *fuit per animal omnium audacissimum, cynomyiam, cui veram appellationem imposuerunt periti nominum, vt erant sapientissimi, compositam videlicet è duabus impudentissimis animantibus, musca & cane: altera vincente omnes volucres temeritate; altero omnes terrestres quadrupedes. Accurrunt enim in trepides; & si quis arceat, non cedunt pernicaciter, donec satientur carnibus & sanguine. Ac cynomyia particeps amborum audacie, & mordax, & insidiosum animal est. Nam è longinquo, in teli morem, magno impetu aduolat, infixaq; cuti, heret pertinaciter. Tunc verò diris exagitata, multò erant molestiores, ultra nativam sitim sanguinis, armata diuinitus, ad ultionem, contra homines impios.*

Gravitas huius pœnæ, non è molestia tantùm & vexatione, sed etiam ex pernicio & effectu, exemplisque potest æstimari. Hinc Aegyptij lbes suas, contra serpentium aduentum, & Elei Myiagron (sicut Olympij Myioden) deum, muscarum multitudine pestilentiam afferente, inuocauerunt. Quale etiam, teste S. Hieronymo, *Beelzebub idolum est Accaron, sic vocatum, in quarto Regum volumine, quasi dicas, Idolum musca. Principem autem demoniorum, ex spurcissimi animalis vocabulo appellabant Iudæi, quod*

XIV.

Exod. 8. 21.

S. Hieronym. ep 135. ad Suniam & Freteilam Exod 8. Psal 77. & Psal 104.

Philo lib. 1. de vita Moy- sis.

XV.

Plin. lib. 10. nat. hist. c. 28.

S. Hieronym. in cap. 10. Matth.